

Ferienprogramm IX (28.9.09)

1. Informieren Sie sich über die Bedeutung des *Vesta*-Kultes.
2. Latein-Deutsch: Informieren Sie sich über Martials *Epigrammaton liber (=Liber spectaculorum)*.
3. Deutsch-Latein: Wiederholen Sie Ihre Notizen über Ciceros Situation nach der Rückkehr aus dem Exil und informieren Sie sich über seine Rede: *post reditum ad quirites*. – Und weiter in *moodle* ...

Ovid, Fasti 6, 249-310

Vesta und die Vestalinnen, Tempel der Vesta

“Vesta, fave: tibi nunc operata resolvimus ora,
ad tua si nobis sacra venire licet.”

in prece totus eram: caelestia numina sensi,
laetaque purpurea luce refulsit humus.

non equidem vidi (valeant mendacia vatum)
te, dea, nec fueras aspicienda viro;

sed quae nescieram quorumque errore tenebar, 255
cognita sunt nullo praecipiente mihi.

dena quater memorant habuisse Parilia Romam,
cum flammae custos aede recepta dea est,
regis opus placidi, quo non metuentius ullum *welcher König?*
numinis ingenium terra Sabina tulit. 260

quae nunc aere vides, stipula tum tecta videres,
et paries lento vimine textus erat.
hic locus exiguus, qui sustinet Atria Vestae,
tunc erat intonsi regia magna Numae;

forma tamen templi, quae nunc manet, ante fuisse 265
dicitur, et formae causa probanda subest.

Vesta eadem est et terra: subest vigil ignis utrique:
significant sedem terra focusque suam.
terra pilae similis, nullo fulcimine nixa, *!!*
aere subiecto tam grave pendet onus: 270

ipsa volubilitas libratum sustinet orbem,
quique premat partes, angulus omnis abest:
cumque sit in media rerum regione locata,
ut tangat nullum plusve minusve latus,

ni convexa foret, parti vicinior esset, 275
nec medium terram mundus haberet onus.

arte Syracosia suspensus in aere clauso

stat globus, immensi parva figura poli,
 et quantum a summis, tantum secessit ab imis
 terra; quod ut fiat, forma rotunda facit. 280
 par facies templi; nullus procurrit in illo
 angulus, a pluvio vindicat imbre tholus.
 cur sit virginibus, quaeris, dea culta ministris?
 inveniam causas hac quoque parte suas.
 ex Ope Iunonem memorant Cereremque creatas 285
 semine Saturni; tertia Vesta fuit.
 utraque nupserunt, ambae peperisse feruntur;
 de tribus impatiens restitit una viri.
 quid mirum, virgo si virgine laeta ministra
 admittit castas ad sua sacra manus? 290
 nec tu aliud Vestam quam vivam intellege flammam;
 nataque de flamma corpora nulla vides.
 iure igitur virgo est, quae semina nulla remittit
 nec capit, et comites virginitatis amat.
 esse diu stultus Vestae simulacra putavi, 295
 mox didici curvo nulla subesse tholo.
 ignis inextinctus templo celatur in illo:
 effigiem nullam Vesta nec ignis habet.
 stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur;
 causaque par Grai nominis esse potest. 300
 at focus a flammis et quod fovet omnia dictus;
 qui tamen in primis aedibus ante fuit.
 hinc quoque vestibulum dici reor; inde precando
 praefamur Vestam, quae loca prima tenet.
 Ante focos olim scamnis considerare longis 305
 mos erat, et mensae credere adesse deos;
 nunc quoque, cum fiunt antiquae sacra Vacunae,
 ante Vacunales stantque sedentque focos.
 venit in hos annos aliquid de more vetusto:
 fert missos Vestae pura patella cibos. 310

Mart. spect. 2

Die Domus Aurea Neros und das Amphitheatrum Flavium

Hic ubi sidereus propius videt astra colossus
 et crescunt media pegmata celsa via,
 invidiosa feri radiabant atria regis
 unaque iam tota stabat in urbe domus.

hic ubi conspicui venerabilis amphitheatri
erigitur moles, stagna Neronis erant.

hic ubi miramur velocia munera thermas,
abstulerat miseris tecta superbus ager.

Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
ultima pars aulae deficientis erat.

reddita Roma sibi est et sunt te praeside, Caesar,
deliciae populi, quae fuerant domini.

Wer ist angesprochen?

Cicero: post reditum ad Quirites

(16) Ita me nudum a propinquis, nulla cognatione munitum consules, praetores, tribuni plebis, senatus, Italia cuncta semper a vobis deprecata est, denique omnes, qui vestris maximis beneficiis honoribusque sunt ornati, producti ad vos ab eodem non solum ad me conservandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testes, laudatores fuerunt. quorum princeps ad cohortandos vos et ad rogandos fuit Cn. Pompeius, vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientia, gloria princeps. qui mihi unus uni privato amico eadem omnia dedit, quae universae rei publicae, salutem, otium, dignitatem. cuius oratio fuit, quem ad modum accepi, tripertita: primum vos docuit meis consiliis rem publicam esse servatam causamque meam cum communi salute coniunxit hortatusque est, ut auctoritatem senatus, statum civitatis, fortunas civis bene meriti defenderetis; tum in perorando posuit vos rogari a senatu, rogari ab equitibus Romanis, rogari ab Italia cuncta, deinde ipse ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit. (17) Huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum hominem homini debere vix fas est. huius consilia, P. Lentuli sententiam, senatus auctoritatem vos secuti me in eo loco, in quo vestris beneficiis fueram, isdem centuriis, quibus collocaratis, reposuistis. eodem tempore audistis eodem ex loco summos viros, ornatissimos atque amplissimos homines, principes civitatis, omnes consulares, omnes praetorios eadem dicere, ut omnium testimonio per me unum rem publicam conservatam esse constaret. itaque cum P. Servilius, gravissimus vir et ornatissimus civis, dixisset opera mea rem publicam incolumem magistratibus deinceps traditam, dixerunt in eandem sententiam ceteri. sed audistis eo tempore clarissimi viri non solum auctoritatem, sed etiam testimonium, L. Gelli; qui quia suam classem adtemptatam magno cum suo periculo paene sensit, dixit in contione vestrum, si ego, consul cum fui, non fuisset, rem publicam funditus interituram fuisse.

(18) En ego tot testimoniis, Quirites, hac auctoritate senatus, tanta consensione Italiae, tanto studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus ceteris magistratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus hominibus faventibus, dis denique immortalibus frugum ubertate, copia, vilitate reditum meum comprobantibus mihi, meis, rei publicae restitutus tantum vobis, quantum facere possum, Quirites, pollicebor: [...]